MICHAËLIS JACOBI MACQUELYN

ORATIO

DE

MEDICINAE PRACTICAE DOCTORE, FIDELI ARTIS HISTORICO.

PUBLICE HABITA A. D. 11 OCTOBRIS MDCCCXXIV,

QUUM ORDINARIAM MEDICINAE PROFESSIONEM IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA AUSPICARETUR.

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD S. ET J. LUCHTMANS,
ACADEMIAE TYPOGRAPHOS,
MDCCCXXIV.

MICHAËLIS JACOBI MACQUELYN

O R A T I O

D E

MEDICINAE PRACTICAE DOCTORE, FIDELI ARTIS HISTORICO.

PUBLICE HABITA A. D. 2. OCTOBRIS MDCCCXXIV.

QUUM ORDINARIAM MEDICINAE PROFESSIONEM IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA AUSPICARETUR.

PERILLUSTRES, AC GENEROSISSIMI ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE CURATORES!

MAGNIFICE RECTOR!

QUI JURI DICUNDO IN HAC URBE, ET AGRIS CIRCUMJACENTIBUS PRAEESTIS, QUIQUE HUIC COLLEGIO AB ACTIS ES, VIRI GRAVISSIMI!

AMPLISSIME CIVITATIS CONSUL, CAETERIQUE MAGISTRATUS, QUIQUE HIS A CONSILIIS ESTIS VEL AB ACTIS, VIRI NOBILISSIMI.

QUARUMVIS DISCIPLINARUM PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI!

VARIARUM ARTIUM ET LINGUARUM LECTORES PERITISSIMI!

VERBI DIVINI MINISTRI, PLURIMUM VENERANDI!

QUARUMVIS ARTIUM ET SCIENTIARUM DOCTORES, VIRI CONSULTISSIMI!

JUVENES ACADEMICI, PARENTUM, PATRIAE, ET HUMANITATIS SPES, NOSTRA CURA, NOSTER HONOS!

VOS DENIQUE SIVE CIVES, SIVE HOSPITES, SUO QUIQUE LOCO, SIVE NATALIUM SPLENDORE, SIVE MUNERIBUS, SIVE DOCTRINA SPECTABILES, AUDITORES EXOPTATISSIMI!

Si verum est Medicinae Parentis effatum, » Artem longam, vitam brevem, » occasionem celerem, experimentum periculosum, judicium vero difficile es- » se" non est quod miremur, Medicinae Theoriam, partemque ejus practicam, Theoriae filiam, ab eo tempore, quo artis formam Medicina adepta fuit, multis, variisque conversionibus, et metaschematismis obnoxiam fuisse, ejusque aedificium, aeque minus ac aliarum Scientiarum, ex naturae observatione petitarum, inconcusso fundamento superstructum fuisse, ita ut Historiae Medicae Cultores diversas, imo plane oppositas vias observantes, per quas ad eundem scopum Artis Magistri tendere conabantur, saepenumero Senecae Philosopho assentiri fuerint coäcti, asseveranti » Nihil tam ab- » surdum esse, quin aliquando aut dictum, aut factum, aut excogitatum » fuerit ab aliquo Philosophorum."

Hoc phaenomenon si animo non praejudicato consideramus, ejus causam et originem in humani ingenii imbecillitate, et in novi quid semper moliendi prurigine fundatas reperiemus.

Simplici enim Legum Naturalium observatione non contenta superba hominum industria compositum, inextricabile, et supra vulgi Medicorum captum positum, in Theoriam artis, ex hâc vero in ipsam Praxin intrudere conata fuit, et Medicinam, Artem plane divinam, omni certitudine orbavit, et ad Scientias versatiles consilio malesano ablegavit;

Qualem errorem, ne dicam flagitium nec sine Scientiae detrimento, nec sine aegrorum damno perpetratum fuisse, omnes mecum lugent Boni. Pleni sunt

il-

illius erroris plurimi Theoreticorum et Practicorum inde a Galeno libri; plena horum exemplorum Annalium Medicorum vetustas: plena horum in contraria ruentium Medicorum, vel nostri aevi artis salutiferae Historia.

Testes sunt Galenistarum, Aristotelicorum, Cartesianorum, Stahlianorum, de le Boë Sylvii asseclarum, Brownii verorum vel falsorum Discipulorum labores: testes sunt recentiorum molimina, Naturalis, quam vocant, Philosophiae, praeëuntibus Fichtio et Schellingio, in Medicinam influentem dignitatem, quâvis operâ tuentium; ut recentioris scholae Italicae dogmata, de stimulantibus, et contrastimulantibus, et recentissimam Broussavii, famosissimi inter Gallos Medici, doctrinam de febribus essentialibus taceam: quorum omnium placita inter se ita pugnant, ut quod *hic* ad naturae, tam sanae, quam aegrotantis phaenomena explicanda excogitet, vel ad eandem, morbis oppressam opitulandam laudet, hoc *ille* aegrae mentis somnia habeat, et uterque adversariorum methodo practicae, si non ignorantiae, imbecillitatis certe famam inurat.

Miror, si summus Noster Boerhaevius, ex beatâ coelitum sede ad nos redeät, et fata, quae Medicina inde ab obitu suo passa fuit, cognoscat, anne eâ, quâ erat veri, simplicisque perspicientiâ et praejudicationis horrore, myriades inventionum, quibus Medicina, artesque, et Scientiae, quae Medicinae cultores ornant, ditatae fuerunt, non semper artis pomaeriis extendendis, sed ejus horto loliis, et dumetis conspurcando inserviisse indignabundus proclamet!

Sed consolatur nos, et demissum animum erigit blanda cogitatio, in Medicina, aeque ac in aliis disciplinis, experientiâ esse comprobatum, quod necesse sit, doctrinas haereticas suboriri, ut *veritas* elucescat.

Hancce *veritatem* quaerere, investigare, naturam methodo Socraticâ interrogare, inventam Naturae viam fideliter sequi; [illegible] verbo, Hippocraticum Medicinae studium instaurare, et indefesso labore tueri, ab omni aevo conati fuerunt omnes, qui cum Boerhaevio nostro in simplicitate sigillum veri invenire studuerunt.

Hanc viam ingressi, quotquot á Boerhaevio ad nostram usque aetatem in hac Academiâ Medicinam tum Theoreticam, tum Practicam magnis successibus docuerunt.

Vivit, et aeternum vivet in omnium Bonorum ore, et animo, Gaubii, summi

mi

mi Pathologi; acutissimi Hahnii; sagacissimi Doeverení, facundissimique Royeni memoria.

Perennat, et aeternum perennabit incomparabilis Sandifortii, Oosterdykii, Volteleni, Paradisii, Brugmansiique quinqueviratûs desiderium, quorum illustrium Virorum de re Medicâ optimé meritorum pia recordatio, nec non Praeceptoris quondam mei Cl. Du Pui honorifica praesentia, me impellit, ut fateri non erubescam, summam mihi felicitatem contigisse, quod in illorum Virorum scholis formatus sim: Horum vestigiis fideliter inhaerere, horum ad exempla nulla systematis libidine incalescere, sed more Eclecticorum, Medicinam experientiâ, ratione, et analogiâ ducibus factitare, unus mihi semper fuit scopus, et (absit superbia!) felicissimo, quod gaudeo, successu.

Si quid igitur, A. A. H. H.! in me est ingenii, et virtutis practicae commendationis, quae quam sit exigua ipse sentio, id unicé hisce meis Praeceptoribus me debere ingenué fateor.

Hancce viam in Praxi Medicâ, Vobis, Commilitiones futuri, Exoptatissimi! tradendâ sequi, et hac ratione gravissimam provinciam, ab Augustissimo Rege Nostro in locum Clarissimi Kraussii, ob infirmam valetudinem honestâ rude donati, mihi clementissime traditam, pro virium modulo sustentare, et nisi votis excidat ausus, ornare, summa mihi erit cura.

Verum quandoquidem difficillimum hocce munus hâc in Academiâ, Lege Regiâ jubente, solenniter sit auspicandum, equidem officiorum, humeris meis impositorum bene memor, paucis dicam.

De Medicinae Practicae Doctore;
Fideli Artis Historico.

Vos A. A. H. H. me, in publicé dicendo inexercitatum, et ab aegrorum lectulis, apud quos Eloquentiam comparandi copia non datur, jam jam avulsum, eâdem benignitate sublevetis, quâ majores nostri, forte etiam nonnulli vestrum, ante hos quadraginta annos, eodem hujus mensis die, aestumatissimum meum, piaeque memoriae Praeceptorem N. Paradisium idem munus solenni oratione, sed majori cum eloquio auspicantem, prosecuti fuerunt!

Quem-

Quemadmodum ad omnes Artes, et Scientias, quae ad ingenii culturam pertinent, et vel cum humanitate, vel cum societatis commodis sive laxius, sive strictius cohaerent, summopere necessaria est Artis vel Scientiae *Historia;* quae juxta Tullium, » testis est temporum, lux veritatis, vitae memo» ria, magistra vitae, nuncia vetustatis," ad hodiernam illarum conditionem cum fructu quodam intelligendam, istumque Artis vel Scientiae statum in Institutione Academicâ docendum, et Tirones ad ipsius Artis exercitium, vel Scientiae professionem aptandos, ut vera a falsis, sincera a fucatis discernere queant, sic aequali jure in Artis Apollineae Institutione, hujusce Annales, et Majorum placita, quatenus in artis theoriam et methodum practicam influere possunt, fideliter enarranda, et examine critico trutinanda esse, non est, quod dubitem, quin vos A. A. H. H. mihi, hoc statuenti, lubenter assensuros sim habiturus.

Quid enim sine Historiae luce proficerent, et Docens, et Docendi? quorsum tenderent omnes omnium labores et vigiliae? si omnia, quae Arti originem, incrementum, ἀκμην, vel et decrementum, variis sub periodis, praebuerunt, mystico velo obtegerentur?

Hâc enim ratione ἀδυνατον esset, perspicuam, et omnibus numeris absolutam hodiernae Artis conditionis ideam ob oculos ponere: obscura, abstrusa sunt omnia; et ex quo factum sit, ut Ars ad hodiernum fastigium evecta sit, vel quorsum tendant experimenta prudenter capta, et inventa ad Artem amplificandam summâ industriâ acquisita, uno ore, sed frustra rogitant Artis Alumni, nec quid respondeat, habet Magister, Historicâ Artis scientiâ destitutus. Quibus addendum, omnes Artes et Scientias, quae ad humanitatem pertinent, communi quodam vinculo jungi, et indivulsâ copulâ uniri: Ars Arti opem fert, et sic amice conspirant.

Hinc inventa in Physicâ, Chemiâ, Anatomicâ, Physiologiâ, et Zoölogiâ, praelucente Historiae face sunt congerenda, et ad Practicam Medicinae partem prudenter applicanda, ad morborum originem, naturam, et constructionem enucleandas; ad symptomatum rationem, et dignitatem aestimandas et explicandas; ad constitutiones morborum annuas, stationarias, endemicas, epidemicas, contagiosas, pestilentiales observandas, dirigendas, praecavendas, sanandas; ad diversa variarum nationum morborum genera, pro aëris,

aëris, aquarum, locorum varietate, vivendi genere, imo pro diversâ regiminis politici formâ, variante methodo tractanda: ad nova remedia, quae Botanicorum, Chemicorum, et Peregrinatorum industria nobis quotidie offert, severâ casti ratiocinii, et rationalis experientiae trutina ponderanda; et ad illa ad corpus humanum in statu aegroto applicanda, vel in illud ingerenda; nunquam non ante oculos posito, animoque infixo, aureo illo monitu Boerhaeviano » Abstine, si methodum nescis."

Si vultis exempla A. A. H. H. quae sententiam nostram illustrent, conferamus nos ad laboratoria Physico-Chemicorum, eorum vigiliae nos principii Luminis ad Corporum Vegetabilium et Animalium energeiam incitandam efficacitatem docuerunt, simulque demonstraverunt, principii Luminis imminutione, vel absentiâ plenariâ, hanc universae Naturae organicae vim imminui, vel et penitus tolli, quâ inventione in lucis aditu vel concedendo, vel praecludendo in morbis acutis et chronicis, Medicorum attentionem excitaverunt.

Iidem Chemiae cultores aëris atmosphaerici compositionem, principiique ejus oxygenetici necessitatem in respirationis negotio ad calorem animalem sustentandum, sanguinem a superfluis, et nocivis carbonio, et hydrogenio defaecandum, humorumque inquilinorum, et partium solidarum corporis animalis compositionem chemicam, et alimentorum ope processuum dynamico-chemicorum elaborationem, et Naturae Humanae assimilationem, certissimis experimentis, et analogiâ maxime naturali ad oculum monstrarunt: Nec horum inventa et producta nos in pathogeniâ, et morborum naturâ materiali enucleandâ deseruerunt; ex his enim nobis innotuerunt calculorum in Oeconomiâ animali hospitantium, tophorum, meliceridum, steatomatum, et osteosarcoseωm genesis, natura, et compositio: In longum excurreret Oratio, si Chemiae Historiae, cum Pathologiâ et Praxi Medicâ conjungendae necessitatem vobis monstrare vellem. Sufficiat, ut ex recentiorum Chemicorum inventis, ad Praxin Medicam facientibus unice memorem principiorum alcalinorum, ex substantiis nonnullis vegetabilibus summâ industriâ eductorum inventionem, cui Kininae, Cinchoninae, Emetini, Morphini, Veratrini, Brucini, aliorumque notitiam debemus: quorum remediorum ope prudens Artis Salutiferae Magister velut miracula praestare potest, quorum omnium sive eductorum, sive productorum *futuram* inventionem Antiquitas ne vel per

B som-

somnium divinasset: quibus inventis si addamus ea, quae a Physico-Chemicis circa fluidi Galvanici, Electrici, Magnetici, in Corpus Humanum actionem instituta sunt experimenta, magniloquentiae me non accusabitis A. A. H. H, si inter prima, et praecipua Medicinae Practicae Doctoris officia recensendam esse statuam cognitionem, et criticam perquisitionem omnium illarum inventionum, quae a Physicis, Chemicis, Botanicis — uno verbo, ab Historiae Naturalis Cultoribus ipsi offeruntur, et quarum ope Humani Corporis tum sani, tum aegrotantis Naturam callere, et utriusque statûs phaenomena ad legum Naturalium observationem, et explicationem adhibere, et in usus practicos convertere possit.

Haec sunt, A. A. H. H. momenta, quibus Artis Historiam instruit, ornat, et ad perfectionem, cujus capax est, evehit, et Commilitonibus suis monstrat Medicinae Practicae Doctor, ut totidem adminicula, quantumvis ex ipsius artis fontibus non petita, a sororiis tamen disciplinis mutuata, et in ipsius artis exercitio in foenore posita.

Si vero animum advertamus ad illas scientias, quae in limine Institutionum Medicarum positae, viam ad Aesculapii Templi penetralia sternunt, et Medicinae Studiosum per gradus ad fastigium ducunt, ex quo omnes Artis suae partes veluti in panoramate positas circumspicere valet, statim ante oculos obversatur absoluta necessitas, illarum scientiarum Historiam a Medicinae Practicae Doctore Artis Studiosis in usus practicos de meliori notâ commendandi, et hoc quidem eo scopo, ut omnes theorias, ex illarum disciplinarum inventis, et incrementis derivatas, et in praxin jurene, an injuriâ introductas justâ trutinâ penset, et quale commodum vel detrimentum praxi clinicae attulerint, fideli narratione, et examine critico non neglecto, cum Auditoribus suis communicet.

Non multo sermone vos morabor A. A. H. H.! ut vobis, (si necesse foret) persuadeam, harum Disciplinarum Historiam a foro practico non alienam esse. Contemplamini mecum, quaeso, Anatomiae et Physiologiae statum, quo se ante duo secula habebant, istumque cum hodierno, ad quod elatae sunt, fastigio comparate, et hoc facto mecum lubentes pronunciabitis, illarum scientiarum faciem hodiernam ab eâ, quam antiquitus monstrabant, toto coelo differre.

Quam arctis limitibus circumscriptae, et quam densâ praejudicationum nu-

nube, ineunte Seculo XVII tectae erant! Biologiae, et Zoönomiae ne vel primae lineae ductae erant, vel ad leges pure mathematicas, vel ad humorum mixtionem depravatam, vel ad spirituum nervosorum motus, legitime vel inordinate compulsos Humani Corporis functiones tam in sanitate, quam in aegritudine referebantur.

Hinc universa Medicorum cohors per aliquot secula in Jatromathematicos, Jatrochemicos, et Pneumaticos dividebatur, quibus forsan et aliae sectae forent annumerandae, nisi et paucitate asseclarum, et periodi, quâ florebant brevitate, historicâ relatione vix dignae forent putandae. Horum tamen omnium commenta nôsse, et pro meritis aestimare Doctoris Practici esse, eo facilius concedetis, quo certius constat, illorum errores in theoriam nostrae aetatis, mutatâ saepe non nisi nomenclaturâ irrepsisse, et Medicinam Rationalem, in subtilitates magis confundentes, quam ingenium acuentes convertisse.

Eadem res est de Humoristis et Solidistis, antiquioris aevi progenie, per multa secula asseclarum proventu faecundâ, a caeteris sectis per aliquod tempus in exilium missâ, et oblivioni datâ, nostro vero aevo redivivâ: Ex quibus Humoristae de Jatrochemicis, Solidistae vero de Pneumaticis, et Jatromathematicis nonnihil habebant, pro ut *Hi* omnes tum sani, tum aegri corporis functiones ex solidarum partium tenore, et efficacitate in fluida agendi; *Illi* vero ex humorum crasi, vel dyscrasiâ, solidorum compagem et motus determinanti, sanitatem vel morbos explicarent, et huic systemati Praxin superstruerent.

Horum errores, ne dicam aegrae mentis somnia Medicinae Practicae Doctor Artis Alumnis enarrans, et funestas ex his in aegris curandis sequelas provenientes, ob oculos ponens, humanamque imbecillitatem dolens exclamabit: » Felix, quem faciunt aliena pericula cautum."

Dolendum enim est, A. A. H. H. omnis aevi Philosophos, in rerum naturâ perscrutandâ, inque rerum causis naturalibus investigandis, fere semper a Naturae, quam indagare, et explicare gloriabantur, simplicitate deflexisse, et in avia et devia aberrasse, non contentos simplici phaenomenωn observatione, et ex eâ analogice, et juxta methodum analyticam deductâ explicatione rationali, quantum mortalibus in naturae templum penetrare datum est, sed statim, et velut ex tripode methodo irrationali rerum Naturam proprio

 marte

Marte construere, et ex meris opinionibus, quarum commenta delet dies, Naturae regulas ponere, et leges ipsi dare non veritos fuisse: sed damnosos horum omnium errores Divinae Artis Historia patefecit, damna ab his Arti Salutiferae facta resarcivit, et Naturae judicia triumphali pompâ confirmavit.

Sed praeterea non sine moeroris sensu observandum, posteritatem parentum cladibus saepe non edoctam fuisse, non meliora sapuisse, nec hîc illîc adhucdum melius sapere.

Ista enim posteritas ad Naturae vocem in observandis, explicandis, dirigendis, adjuvandis, vel coërcendis virium vitalium motibus, et moliminibus in statu morboso surda, ad lectulos aegrotantium autonomiam cum fastu quodam sibi creavit, et modestiores Artis Magistros, inferioris subsellii genus vituperio habuit, et quod Doctrinae et Experientiae rationali istis deërat, nomenclaturâ sesquipedali, medii aevi barbariem redolenti, sed τὸ θεῖον, divinam in morbis naturam non eo melius interpretanti, compensare studuit.

Crassos testor Brownii sectatores, quorum imperium ante aliquot lustra orbem medicum subjugum mittere videbatur, sed qui ex ipso hoc suggestu a Venerando Praeceptore meo Paradisio egregie vapularunt (*). Testor Broussavii antea memorati doctrinam, in tantum non omnibus febribus, encephalitidem, et in morbis abdominalibus, gastritidem, et enteritidem observare sibi persuadentem, et fictitios hosce morbos immenso sanguisugarum agmine debellantem. Testor denique recentis periodi Medicos, praesertim Germanos, et hos inter viros, ingenii acumine commendabiles, sed a divina Artis simplicitate adeo remotos, ut Kantii, Fichtii, Schellingiique doctrinam, sub bello Philosophiae Naturalis titulo in Medicinae non tantum theoriam, sed quod plus nocuit, in ipsam praxin, in institutiones clinicas, in apparatum medicaminum, et in nescio quas regulas hygieinicas indefesso labore, et nomenclaturâ hyperboreâ, auribus Medicis insuetâ per fas et nefas intrudere, et hîc illîc scholas Therapeuticas, hisce fundamentis superstructas erigere conati fuerint; cujus vero labis, quantum equidem scio, immunes adhuc esse Patriae nostrae Academias, cum bonis omnibus gaudemus, nec in illarum Institutionibus Naturam ad Philosophiae sic dictae Naturalis commenta torqueri, nec Medicinam cogi, ut istorum (si Dîs placet) Philosophorum castra invite sequatur!

Sed

(1) In Oratione de *Cognitione Historiae Medicinae*, etc. habitâ Lugd. Batav. a. d. XXVII Sept. Ann. MDCCC.

Sed absit Invidia! A. A. H. H.! et quum quisque suorum verborum optimus censeri potest interpres, non abnuimus Philosophicam Artis Medicae tradendae methodum: minime Gentium! Sed illam puram, castam, ad doctrinam Socraticam accommodatam, ad Divi Medicinae Parentis typum efformatam, quam inde a Boerhaevii aetate professi sunt, quotquot praeclari hujus Magistri veri Discipuli, hâc in Academiâ Praxin Medicam docuerunt, et in Nosocomio Academico, non tantum auribus, sed et oculis Tironum, ut optimam, omni ratione commendabilem, et in futurâ praxi largos fructus daturam, mathematicâ velut certitudine demonstrarunt, et Artis Historiam, Philosophiae lumine illustratam cum Institutionibus Medicis felicissimo successu conjunxerunt. Horum itaque Antistitum vestigiis fideliter inhaerere, et universum Medicinae apparatum ex Artis progressibus emendare, prudenter augere, et quâvis operâ perficere, inter prima (me judice) muneris officia reponendum esse ab eo, cui Medicinae Practicae in quâcunque Academiâ tradendae provincia est demandata, vos A. A. H. H., quotquot hîc adestis, sacris nostris quantumvis non initiati, palam professuros esse, non est quod dubitemus.

Perpetuam enim, et non interruptam cujuscunque disciplinae Academicae Historiam criticam, inter praecipua cujusvis scientiae vel docendae, vel addiscendae subsidia merito annumerant omnes Boni, qui veram Doctrinam, proävorum haereditatem, posteris ad sartam tectamque conservandam relictam, acriter tueri, et contra malesanos compendiariae docendi discendique methodi fautores strenue defendere in animo habent.

Si itaque indubitatum est, Historiam cujusvis Artis vel Scientiae, fideliter et critice enarratam in Institutione Academicâ omnes, quas dicunt Facultates tangere, suo jure, eoque perfectissimo, Artis Historiam hâc ratione tractandam Medicina sibi vindicat; quae, ut ingenii Humani foetus, incrementa sumendi capax, suos periodos habet, sua stadia numerat, et sua fata, sua etiam decrementa patitur, spinis et dumetis interdum foedatur, et a nobili simplicitate, et genuinâ praestantiâ recedit.

Non puerilem illam volumus Historiam, quae medii aevi chronica redolet, sed Philosophicam, pragmaticam, quae ingenii Humani progressus, inclinationes, aberrationes, imo luxuriantis imaginationis phantasmata fideli stilo notat, justâ bilance pendit, et cum diligenti, et non praeaccupatâ Naturae observatione comparat, ex omnibus veritatem, unum omnis Philosophiae

scopum quaerit, inventam ad Artis amplificationem applicat, et in aegrorum salutem, praecipuum artis finem, convertit.

Quae omnia, dum Artis Medicae Doctor, ingenio criticò pollens, Auditoribus suis ex Disciplinae suae Historiâ, quotidie tradere curat, veluti inscius, et tale quid primo intuitu non ambiens, Historiam universae Naturae, quatenus in corpore animali propriis legibus obtemperat, sibi detectam cernit, nec non ipsius ingenii humani Historiam, cum diversis Theoriis, quotquot per seculorum decursum invicem insecutae sunt, indivulso vinculo nexam ediscit, et sic Artis suae Historiam, variasque ejus periodos futuras, ex humani ingenii cognitione praesagit, et velut mente sua praevidet; qualescunque Philosophorum Naturalium opiniones et systemata justo pretio statuit, vera a falsis discernit, et in Institutione Practicâ et Clinicâ, Historiam Naturalem, quae Medicorum est, in Auditorum commoda fideliter enarrat, omniumque phaenomenων, et symptomatum morbidorum naturam, et originem, et dignitatem quam simpliciter explicat, Nosologiae Methodicae regulas ducit, Prognoseos fundamenta, et Methodi medendi scopum, et Indicationum doctrinam, cum electione medicaminum congruorum, totiusque regiminis diaetetici ordinatione Auditoribus tradit, ut hi non ex ore Magistri, imbecillitate humanâ non immunis, sed ab ipsius Naturae ore, quam duce Praeceptore quotidie loquentem audiunt, dociles pendeant.

Vellem Vobis, Commilitiones Exoptatissimi! quotquot ex hac Auditorum coronâ ad Artis Apolliniae Templum tenditis, Historiae Artis Medicae cum Institutionibus Theoretico-practicis conjungendae necessitatem persuadere, eamque Vobis ita inculcare, ut Scholas Practicas, Historicâ Institutione orbatas, steriles, et inanes mecum, et cum omnibus, qui rei Medicae bene cupiunt, habeatis: Hâc enim docendi, discendique ratione, tentamina eorum, qui nos aetate antecesserunt, detegimus, in morborum naturâ et origine, et constitutione morbosá quâlibet eruendâ; nec hîc Historiae Medicae utilitas terminum figit; cum Historiâ Systematum conjungenda est Historia morborum popularium et endemiorum, qui in patriâ nostrâ regnarunt, et inde a renatis litteris á Foresto, Diemerbroeckio, Dekkersio, Levino Lemnio, Eugaleno, Spigelio, Stockio, Bickero, Bosschio, aliisque praeterlapsorum seculorum Medicis Belgis, ob vetustatem non contemnendis, nec imme-

meritae oblivioni dandis observati, et docto calamo descripti fuerunt; quorum scriptorum conjunctâ operâ, morborum nostrae gentis naturam, originem, decursum, nec non illorum indolem, climatis alteratione, victûs, morumque ratione, vel aliâ quâcunque de causâ mutatam cognoscere datur; et quâ morborum nostratium scientiâ instructi, aliarum orbis terrarum regionum aègritudines inter se, et cum morbis nostris popularibus comparare possumus; ex qua comparatione, juxta regulas Artis institutâ, nobis tandem vera causa, et unica ratio elucescit, unde factum fuerit, quod Inflammationis theoria et tractatio apud Boerhaevium, morborum vero gastricorum, et biliosorum indoles et cura apud Stollium emineat: quorum Auctorum scripta, opiniones et systemata, historicâ lampade praeeunte, volventibus nobis luce meridianâ clarius patebit, illos systematis cujusdam dilecti amore non fuisse captos, nec morborum suae gentis, et sui aevi Historiam ad illud systema torquere voluisse, sed omnia, quae de hâc materiâ scriptis mandaverunt, ex simplici, et purâ naturae observatione profluxisse, ita ut V. C. Boerhaevius, pro summo, quo erat animi candore, et veri amore, si Stollii aetate in Austriâ, morborum gastricorum et biliosorum fertilissimâ matre, degisset, et hujus regionis morborum, Stollii aetate grassantium naturam observasset, et curassat, tunc processum Inflammatorium in morbis plerisque acutis obvium, et medendi methodum moderantem, non adeo ex professo, quam quidem bilem in morbis acutis plerisque exsuperantem, vel depravatam in scriptis suis pronunciâsset; qualis animadversio itidem, inversâ ratione in Stollium quadrare ex aequo judicamus.

Qualem artis Medicae Historiae in Scholis Therapeuticis tractandae utilitatem, imo necessitatem mecum reputans, non abstinere possum, quin Paradisii V. C. praematurum Arti nostrae é vitâ discessum cum omnibus Civibus Academicis, hâc ipsâ horâ, ex animo doleam.

Paradisii inquam, qui Historiae Medicae cathedram adeo ornabat, et ingenio vere Philosophico, quod plerique vestrum, A. A. H. H. in egregio Viro agnovistis, et mecum admirati fuistis, adeo cohonestabat, ut vel hodierno, quod vivimus tempore, sui inter nos desiderium reliquerit!

Sed justas inter lacrymas, et merita parentalia, non desperandum; manum operi admoveamus, studium Historicum cum Therapeuticé conjungere nitamur, quo facto ad exemplum summorum Virorum, qui nos in hâc palaes-

laestrâ antecesserunt, antiquitatis, et hodierni, quod vivimus aevi studium copulabimus, ita ut alterum alteri praeluceat, et ambo amicé conspirent.

Dum itaque Hippocraticum Medicinae studium, juxta monitum summi Boerhaevii futuris Medicis omni contentione commendamus, et cum Baglivio monemus, » non fingendum, aut excogitandum esse, sed observandum. quid » Natura faciat, vel ferat," Naturae in Humano corpore leges, fideliter observemus, et ad lectulos aegrotantium videamus, anne quod in Scholâ Therapeuticâ de illius moliminibus docuerimus, cum Naturae phaenomenis conveniat, nec ne: priscorum Medicorum descriptiones morborum cum nostris observationibus, nostrâque experientiâ conferamus, medendi methodum aliorum, priscorum, recentiorum, hodiernorum cujuscunque scholae, et aevi, criticé perpendamus, et hâc ratione discamus, Naturam nostro nutui non obtemperare; sed ex adverso, nostri esse, eam ducem sequi, aberrantem in viam reducere, viribus exaltatam reprimere, depressam incitare, illamque eo ducere, quo Experientia Rationalis, observatione, et analogia comitata, et illustrata ducendam nobis monstrat.

Causa perorata est A. A. H. H. et, nisi votis excidat proposita a nobis sententia, id quod ineunte sermone probare voluimus, abunde satis, si sat bene, officium Doctoris Medicinae Practicae in Historia Naturali morborum, et fatorum, quae Medicina per secula passa fuit, fideli, et criticâ narratione tractandâ positum esse demonstravimus: quale et nostrum, Professoris Medicinae Practicae munus in hâc Academiâ auspicantis, officium esse palam profitemur, et cui, pro viribus exsequendo, nosmet jurejurando obstringimus.

Tanti, tamque difficilis officii memorem me Vobis, Perillustres Academiae Lugduno-Batavae Curatores! submissé offero: Vobis enim, vestroque hortatui me debere ingenue fateor, quod a valde laboriosâ, per sex fere lustra inter Cives meos non infeliciter exercitatâ Artis Medicae Praxi, ab Amicis, quibus plurimis gaudebam, ab Urbe natali, in quâ variâ ratione retinebar, et aetatem exigere cogitabam, me in hanc bonae mentis mercaturam evocaverit Augustissimus Belgii Rex, doctumque cum dignitate conjunctum mihi concesserit otium: otium, ab homine meae sortis vix sperandum, nedum exspectandum.

Quo

Quo enim animo me nunc esse putetis, Viri Perillustres! quum attentâ mente considero, me, vix extra natale solum cognitum ad subsellia Academica esse elatum, et in hocce suggestum evectum; ex quo Praeceptores mei, et quanta sidera! toties verba fecerunt, et eloquentiam a foro Medico non alienam esse cum omnium applausu demonstrarunt, et quorum Successorem *futurum* me Vestra, quam de me, meisque studiis concepistis existimatio *optavit*, et auctoritati Regiae *commendavit* benevolentia: Successorem vero *esse* Regia Majestas *jussit*; cui Summi Principis voluntati cedere obedientia Decreto Regio debita me impulit, ut, priscâ sede relictâ, jam meam, meorumque sortem vestro favori, et benevolentiae commendare ausim, meque totum amplissimi muneris officiis tradere constituerim; quorum gravitatem si mecum reputem, animum meum sacer horror subit; sed ex deprimente hâc cogitatione me erigit exhilarans animadversio, nil volentibus arduum esse, et moralis, ad quam me redactum sentio, necessitas me excitat, ad Provinciam, quam suscepi, nunc, et dum spiritus hos regit artus, quâvis operâ, et quovis molimine tuendam, et pro viribus ornandam.

Sancté itaque, Maecenates Optimi! polliceor, me omni labore, omnique industriâ conaturum fore, ut, dum voluistis Scholae Oosterdykianae, et Paradisianae alumnum studium Medicinae Hippocraticum, ad hodiernos Artis progressus accommodatum docturum fore, vestroque hortamini annuerit Rex Clementissimus, me hujus scholae non penitus indignum discipulum, et defensorem, et si magnis non excidam ausis, cum caeteris Medicinae Professoribus, strenuum Statorem et Promotorem praestem. Hoc dum efficere studeam, Vestro sub tutamine floreat hocce Palladis Sacrarium, et per sempiternas seculorum aetates augmenta gloriae et celebritatis capiat!

Vivat, et omnigenâ rerum bene gestarum felicitate beëtur Augustissimus Belgii Rex! Munificentissimus Artium et Scientiarum Patronus! cum Illustrissimâ Familiâ Regiâ! et ad seros usque nepotes Stemmatis Auriaci nomen et splendor gratos inter Batavos gloriosé transferatur, et perennet!!

Ad vos me converto, Magnifice Academiae Rector! caeterique Clarissimi, et quâ quisque laude, et scientia censetur, Praestantissimi Professores! Si

 ves-

vestum ordinem oculis meis perlustro, quantum illum mutatum cerno ab illo tempore, quo, Rectore Magnifico Smallenburgio, V. C. Medicorum ordini adscribebar; quot vestri caetûs lumina ab hoc tempore caelitibus adscripta fuerunt! Quantus luctus cum omnibus Bonis, cum totâ Patriâ hiscc diebus opprimit Patres Academicos! cum Vobis, Academiae, Urbi, Reipublicae, toto orbi docto dolendum est, quod Academiae Nostrae, tantis á non longo tempore procellis agitatae, dirissimis Borgeri, Brugmansii mei, magnaeque spei Viri, van der Boon Meschii funeribus, ante aliquot hebdomadas hisce cladibus quartum accesserit, importunissimâ, et inopinatissimâ Cl. Kemperi, Juris Antecessoris eruditissimi, in literis cum laude versati, et in Supremo Regni Comitiatu legitimae Libertatis Vindicis acerrimi, magnique sui Ordinis ornamenti morte, quâ nostra Academia tanto impetu concussa est, ut non possim, quin (cum Graevio Francisco Burmanno funebri oratione parentante) magnâ vocis, laterumque contentione exlamem, » Concurrite Cives! Concurrite! Academiae nostrae, et Capitolii nostri moenia corruerunt! Tanta enim est hujus cladis atrocitas, ut tantae plagae, tanto luctui, ullus fletus satis esse possit!" Sed abstineo, quum mei non est tanti Viri insulsum panegyricum habere.

Ante aliquot annos ad plures abierunt Venerandi mei Praeceptores; unum ex illis, quod vehementer gaudeo, superstitem, vegetâ senectute fruentem, eâque invitâ, sed lege jubente, honestam a docendi munere quiescendi veniam nactum, nihilominus tamen in docendi munere juvenili ardore pergentem salutare mihi contingit Celeberrimum Du Pui, quem olim Praeceptorem, nunc vero Collegam nominare, non infima mihi gloria erit. — Tua, Vir Cl. monita et consilia in novo curriculo implorare, et officii, et grati animi ratio jubet, quaeque mihi negare perpetuo mihi monstrata amicitia tua vetat: quod et a Te Cl. Sandiforte, Magni Patris digne haeres, jure meo flagito; Vos etenim me, hanc urbem ingredientem, non ut hominem aliunde advenientem, non ut peregrinum, sed ut civem, ut amicum, á longo tempore notum, post longam moram ad communes Lares redeuntem, laete salutâstis, honestissime recepistis, et quovis beneficiorum genere cumulâstis; haec vestra beneficia gratâ memoriâ custodiam!

Qui-

Quibus vero verbis, quo tandem sermone te compellabo. Cl. Bernard! Studii Hippocratici strenuissime, et facundissime Defensor! vitae Academicae quondam dilecte sodalis! iisdem mecum Praeceptoribus use! eâdem doctrinâ imbute! quem olim discendi comitem habuisse laete recordor, nunc vero docendi socium me habiturum fore certissimo augurio confidebam, et cum quo muneris aequalitas, et officii ratio, et praeteriti temporis recordatio, veterem, utilissimamque renovare amicitiam me jubebant: sed eheu! te revisum salutare, teque vix recognitum dimittere unius fere momenti tristissimum mihi est pensum; tecum in eandem arenam descendere, tecum eandem Artis nostrae partem, uno nos ducente genio, in docendi munere tractare, studiosaeque adolescentiae, ad praeclarum tuum exemplum quantopere possem utilem fore cogitabam: sed vana spes! vana consilia! me advenientem, consiliorumque tuorum egentissimum deserere Amplissimi Muneris, Decreto Regio, pro meritis in te honorifice collati ratio te jubet; nec me tantum, sed hocce Palladis Sacrarium, quod ambabus ulnis te amplectebatur; sed et docilem, et ab ore tuo pendentem, Arti salutiferae devotam Juventutem relinquere, eamque quoad Institutiones Medicinae Practicae mihi uni tradere cogeris: sed, i, quo te Divina Providentia, et ab illâ regunda tua te Fortuna vocant, medias inter nostras, adolescentiumque tibi devotissimorum lacrymas, et, nisi irrita vota pro Facultate nostrâ nuncupemus, Academiae, cum quâ in posterum non nisi honorifico Medicinae Professoris titulo communionem ales, tuis discipulis mihique unquam reddare!

Quum vero omnes Artes et Scientiae communi quodam vinculo junguntur, grato animo reminiscor, Caeteri Professores! vos me, novum hominem, in intimum vestrum sodalitium lubenter recepisse, gratum semper habebitis collegam, qui, diversum licet laboris genus nos sejungere videatur, ad tantorum tamen Virorum amicitiam adscribi honori et utilitati sibi ducere didicit.

Arctius vinculum me Vobis associat Cl. van der Eyk! curriculi Academici sodalis quondam conjunctissime! et Cl. Reynwardt! disciplinarum, quae cum Medicinâ non laxam copulam alunt, Professores Celeberrimi! vestram opem in rebus, quae Medicum ornant, saepius mihi liceat implorare, sedulum et docilem discipulum habebitis, me totum vobis dabo.

Tibi autem Cl. de Gelder! ex animo gratulor, quod Ordinariam Professoris dignitatem solenni oratione jamjam auspicatus fuisti, quo honoris gradu te dignum judicasse Augustissimum Regem, mecum gaudet universa Academia: Batavorum merita in Disciplinis Mathematicis amplificandis illustri tuo exemplo tueri pergas, et sume superbiam, quaesitam meritis.

Nec vos insalutatos dimittere possum, qui e Delphensium Civitate ad haec sacra solennia praesentiâ vestrâ, meque, vestrum quondam civem et amicum audientiâ vestrâ honorandum affluxistis, quosque hîc illîc dispersos agnoscere licet; hunc vestrum concursum vestrae erga me constantis amicitiae certissimum pignus habeo, neque unquam memoriâ excidet praeteriti temporis, quo diversis obstrictus beneficiis, et medicâ, quâ me dignati fuistis, fiduciâ fruens, inter vos habitabam, recordatio. Valete Cives! meique inter vos nunquam non grata sit memoria!

Haecce vero animi effusionem Te imprimis tangit, Doctissime, et Celebratissime Stipriaane Luisci! Amicorum omnium dulcissime, et ad genium meum accommodatissime! Quot et quantis sincerae amicitiae vinculis tecum a juventute conjungebar, imo uniebar! quot et quantis consiliis me, Medicinae praxin inchoantem adjuvisti! ex morbo acutissimo, inevitabile lethum minanti, arte tuâ me eripuisti, et in adversis domûs meae rebus meque, meosque consolationibus, et vario officiorum genere erexisti! novique muneris honorem fraterni amoris significatione mihi gratulatus fuisti! Nunc ve-

vero; proh dolor! divellimur; sed perstat Amicitia; et ad rogum usque perstabit; teque pluries videndi, et salutandi copiam, commune nostrum Medicinae Politicae hujus Regionis, cum Collegis nostris conjunctissimis, administrandae munus daturum fore summopere gaudeo, gaudemus uterque: Tu interim cum Filio tuo, laboriosissimae Praxeos socio, inter Polyatros Delphenses collegâ quondam meo conjunctissimo diu lacteque vivas, Artis nostrae firmum columen et ornamentum!

In vobis vero mea exsultat oratio, Commilitones Exoptatissimi! Salutiferae Arti devota pectora!

Audivistis, qua ratione vobis Medicinam Practicam fideli observatione, rationali experientiâ fultam, et casto analogiae ratiocinio ductam tradere constituerim, et mihi assentientes vos habituros confido, asseveranti, regulas Therapeuticas, Artis et omnis aevi scriptorum Medicorum Historiâ illustrandas esse; priscos igitur, et recentiores diurnâ nocturnâque manu pervolvamus, illorum observationes et placita cum observationibus nostris ad lectulos aegrotantium collectis comparemus; nullique systemati addicti, Naturam, illamque unam consulamus; opinionum enim commenta delet dies, Naturae judicia confirmat: Experientiam meam, longo artis usu comparatam, et perpetuo Literaturae Medicae studio excultam, vobis simplici sermone, ab omni verborum lenocinio, et ab omni nomenclaturâ peregrinâ et sesquipedali, neologorum barbariem redolenti, plane penitusque abhorrente tradam, quod dum facere annitar, et consiliis meis vobis viam ad Aesculapi aedem sternere dum studeam, placidas aures, et benignum animum, quo dilectum vobis Profsssorem, vobis, mihique jam valedicendum, prosecuti fuistis, mihi quoque, in eâdem palaestrâ vobiscum militanti ne negetis; ad unum enim, eundemque scopum tendimus cuncti, Artis et Facultatis Medicae gloriam et celebritatem.

Vos omnes denique hujus Academiae, Proavae virtutis praemii, Cives! mecum gaudete, quod ex auctoritate Nobilissimi Magistratus hujus urbis, ejus ab Hispanorum obsidione, Principis Auriaci ingenio et virtute, et civium

constantiâ, annuente Summo Numine, liberatae, post duo secula cum dimidio praeterlapsa, felicissimam memoriam crastinâ et perendinâ Luce, pie, et hilariter repetere nobis dabitur!

Augusti hujus festi solennia, seculorum serie non obliterata, neque unquam obliteranda, Nos omnes Patriae, Regi, Urbi, et Academiae magis magisque obstringant, et nos ad bene de Patriâ, Rege, Urbe, et Academiâ merendos incitent; mentique nostrae nunquam excidat sententia, Nummo Senatorio, paullo post Urbis liberationem cuso, caelata:

Prudens Parentum Cladibus, Et Fide,
Virtute Discat Pertinaci
Posteritas Patriam Tueri!!!

DIXI.